



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

XXII. De neophytis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

<sup>\*f. eccl.</sup> propria apud semetipsum Concilia facere , præter eos qui sunt metropolis \* creditæ.

## XIX.

Non liceat ad Concilium conuocatos episcopos continere , sed ire , & ea quæ ad utilitatem ecclesiæ vel ceterorum pertinent, aut docere, si nouit; aut doceri , si nescit. Nam si extra ægritudinem contempserit ire, reus erit fraterni Concilii.

## XX.

Si quis triginta ætatis suæ non impleuerit annos , nullo modo presbyter ordinetur , et si valde sit dignus : quia ipse Dominus tricesimo anno baptizatus est , & sic cœpit docere. Oportet ergo eum qui ordinandus est , vsque ad hanc ætatem legitimam conseruari.

Affertur  
distinct. 78.  
cap. Si quis  
triginta.  
Tribut. Bo-  
nifacio pa-  
pæ, verum  
ex Neocæ-  
sariensi Can.  
ii.  
*Lue. 3.*

## XXI.

Si quis pro causa ægritudinis naturalia a medicis habuerit secta , similiter & qui a barbaris , aut a dominis stultis fuerint castrati , & moribus digni fuerint visi , hos Canon admittit ad clericatus officium promoueri. Si quis autem sanus non per disciplinam religionis & abstinentiæ , sed per abscissionem plasmati a Deo corporis , existimans a se posse carnales concupiscentias amputari , castrauebit se, non eum admitti decernimus ad aliquod clericatus officium. Quod si iam ante fuerat promotus ad clerum , prohibitus a suo ministerio deponatur.

Distinct. 55.  
c. Si quis  
pro ægritu-  
dine.  
Ine p. 6. c.  
374.

## XXII.

Qui nuper baptizati fuerint , iam ætate legitima , non continuo liceat eos ad ecclesiasticum ordinem promoueri : quia oportet illum prius doce-

ri quod possit docere , quo multo tempore bapti-  
smum possit probare : vt bene probatus veniat ad  
clerum , secundum præceptum Apostoli dicentis :

*1. Tim. 6.* *Non neophytum ; ne in superbiam elatus , in iudicium*  
*incidat & laqueum diaboli.* Si succedenti tempore  
in aliquo graui peccato a duobus vel tribus testibus  
fuerit conuictus , depositus de gradu suo cesseret a  
clero. Si quis contra hanc regulam facere præsum-  
pserit , quasi contrarius magni Concilii , proiiciatur  
a clero.

XXIII.

Pœnitens tantum , si necessitas aut usus exige-  
rit , inter ostiarios prius deputetur , vel inter lecto-  
res ; ita vt euangelia vel epistolam non legat. Si qui  
autem ante ordinati sunt , inter subdiaconos ha-  
beantur : ita vt manum non imponant , aut sacra  
non contingant . Ex pœnitente enim dicimus ,  
ideo quod post baptismum pro homicidio , aut pro  
diuersis criminibus , aut grauissimis peccatis , publi-  
cam pœnitentiam gerens , diuino fuerit reconciliatus altario.

XXIV.

*Dif. 25. c. Si*  
*quis presby- ter.*

Si quis presbyter aut diaconus sine aliqua exa-  
minatione ordinati sunt , aut certe cum discuteren-  
tur , criminosa peccata sua \* celauerunt , & post or-  
dinationem ab aliis sunt detecti ; abiificantur a cle-  
ro. Similiter & de vniuerso ordine cleri seruetur.  
Nam hoc sibi , quod irreprehensibile est , sancta &  
catholica defendit ecclesia.

XXV.

*16. qu. 1. c.*  
*Si quis pre- bbyter. &c*  
*Neocastar.*

Si quis presbyter ante ordinationem peccau-  
erit , & post ordinationem confessus fuerit , qui an-  
tea

\* confessi  
funt alia  
legebatur  
confitunt  
non fuit,